

Die Urkunden der Burgundischen Rudolfinger, 164

In Christi nomine. Notum sit omnibus natis et nascendis, qualiter Burchardus loci Agauni abbas manu Anselmi episcopi et eiusdem loci prepositi, consensu etiam fratrum ibi deo famulancium nec non et iussu domni Rodolfi regis et regine Irmingardis, damus cuidam mulieri Hiltegarde eiusque filiis Welernilunno et Othelino in commitatu Bargense et in villa Chunicis mansum et dimidium cum campo, quod dominus rex concessit, et exertum in Mulinberc et aliud in Petentle, eo tenore ut annis singulis solidos III ad sanctum Mauricium persolvant. Quod si uno anno negligunt, in alio duplum componant, et sic omni tempore quietes possideant.